

2803 in ara quadrata, in cuius latere dextro manipulus spicarum est et uvae cum racemo suspensi funiculo ex anulo, cui arae impositum est in basi minore simulacrum Priapi sublata tunica genitalia ostendentis, scriptus titulus proponitur certe in codice Mutinensi Marcanovae, ubi adnotatur: ‘figura Priapi ex aere inaurato huic similis adinventa in fundamentis capellae S. Petri de urbe tempore papae Nicolai quinti est apud ‘Ioannem Marchanovam artium et medicinae doctorem Patavinum’. — Paduae extra portam Romanam tribus millibus passuum in sacello Runconi [= Roncon prope Albignasegum] in lapide corroso vetustate, et nunc appellatur porta sanctae Crucis MARCANOVA; similiter RED. GUD. et RELIQUI PLERIQUE. In villa Boecia [= Bugazzi opinor prope Ronconum] agri Patavini in domo magnifici militis D. Bernardi Bembi IUC. ‘Assentior iis, qui Priapeorum librum esse Virgilii non putant . . . (Bernardus Bembus) cum . . . diceret . . . nihil esse eius libri auctoribus in certius, nihil obscurius, unius epigrammati testimonium attulit, quod quidem me iuvene non habebatur, affirmavitque sese illud primum omnium ‘invenisse in Patavino quodam sacello lapide extra urbem tertio, si recte memoria teneo, in antiquo marmore incisum obrutumque ruderibus abiecto ‘loco: idque fuisse postea temere Priapeorum carminibus pro Virgiliano ab impressoribus [insertum]’. Ita sub persona Pomponii Laeti PETRUS BEMBUS (1470—1547) Bernardi filius. ‘Repertum in agro Patavino marmori insculptum extremis quibusdam priorum quatuor carminum syllabis ‘vetustate corrosis’ ALDUS MANUTIUS 1517, respiciens fortasse Iucundianas lectiones v. 2 fin. 3 fin. ‘Non vidimus; alibi enim translatum est’ PINGONIUS.

VILLICVS · AERARI · QVONDAM · NVNC · CVLTOR · AGELLI
HAEC · TIBI · PERSPECTVS · TEMPLA · PRIAPE · DICO
PRO · QVIBVS · OFFICIEIS · SI · FAS · EST · SANCTE · PACISCOR
ADSIDVVS · CVSTOS · RVRIS · VT · ESSE · VELIS
5 IMPROBVVS · VT · SI · QVIS · NOSTRVM · VIOLABIT · AGELLVM
HVNC · TV · SED · TENTO · SCIS · PVTO · QVOD · SEQVITVR

Habent Marcanova cod. Bern. n. 664, cod. Mut. f. 162 Pat. 55 (inde Pingonius f. 233; Scardeonius p. 62; Sirmondus cod. Paris. 1419 n. 427; Grut. 95, 3 e Scardeonio); Felicianus Pat. 5; Ferrarinus cod. Trai. f. 46, cod. Reg. Pat. 8; Lilius f. 56'; Redianus Pat. 99; cod. Vat. 6875 f. 81; cod. Chig. I. VI. 203 f. 35; cod. Bergomas Δ. VI. 38, qui dicitur scriptus esse Romae in castello S. Angeli a. 1441; Iucundus Pat. 35; Choler ms. f. 59. Hi omnes cum pendeant ab eodem exemplo Antiqui, indidem sumptam editores Priapeorum syllogae extremae addiderunt; certe repperi in antiquissima quae mihi praesto est editione eorum post carmina Vergiliana Vicetiae 1479 fol. Legitur item apud Petrum Bembum in dialogo de culice Virgilii in opusculis (Basil. 1556) p. 84, a quo pendet omnino Ligorius ms. Taur. 13. Pendet ab eodem Bembo opinor Aldus in editione Priapeorum a. 1517, carmen a reliquis separans et praescribens ea quae supra leguntur. Iosephus Scaliger in appendice P. Vergilii Maronis (Lugd. Bat. 1573. 8) sic de hoc carmine scribit p. 473: ‘nomine Tibulli in antiquis Tibulli codicibus inveniri et alii in editionibus suis admonuerunt et nos inter opera Tibulliana in optima scheda reperimus’. Optima scheda ei est liber Cuiacianus hodie deperditus, sicut praeter alia inde colligitur, quod ad carmen sequens *Quid hoc novi est* item non cum corpore Priapeorum servatum, sed cum hoc nostro mature ad ea adiectum aliunde, sic adnotat p. 474: ‘in veteribus excusis Tibulli nomine editur . . . itemque ‘in veteri membrana Tibulliana, quae est penes te, Iacobe Cuiaci’. Sed Scaligeranis his ut difficile est fidem negare (nec fidem eis negavit Lachmannus, cum propter ea poematis his locum dedit inter Tibulliana ed. 1829 p. 71), ita vix facilius est fidem habere. Nam ut mittam a doctissimis quibusque viris frustra me quaesivisse, quaenam sint istae editiones Scaligeranae anteriores, quae carminibus hisce duobus Tibulli nomen adscribant, mittam etiam mirificum casum carminis omnino pertinentis ad certum aliquod sacrarium Priapi et ut ei incideretur compositi tam loco pristino servati quam inter opera poetae, hoc maxime mirandum est Scaligeranam editionem non solum propriam lectionem nullam proponere, sed etiam v. 6 consentire Scaligeri codicem, secundum disertum ipsius testimonium, cum lectione ab editoribus Vergilianis profecta et sine ullo dubio interpolata. Sed videant de his qui carmina Latina colligent; nobis non contigit, ut nodum solveremus. Hoc nemo negabit carmen dignum esse poeta eximio et aetate Augusta. — A prioribus acceptum repetiverunt Burmann anthol. 6, 82; Meyer anth. n. 1695; Furlanettus p. 51 n. 56.

Lapidi incisum extitisse titulum constat ab auctoritate optime defensum, quamquam fortasse non plus semel descriptus est; nam Bembus etsi vidit adeoque possedit titulum, tamen potest dedisse ad exemplum Antiqui. Denique vilicum aerarii, quod vocabulum ne intellexisse quidem eius aetatis homines interpolationes ostendunt, quis finxerit? Quapropter eam quoque suspicionem procul habendam esse censeo saec. XV medio doctum aliquem Italum eum incidendum curasse villae sua exornandae causa. — V. I. dabo Marcanovae (Bern.), Feliciani, Rediani, Lili, Vaticani (6875), Chigiani, Iucundi, editionis Vicetinae, Bembi, Scaligeri. — 1 VILLICVS (VILICVS Iuc.) AERARI (AERARII Red. Chig., ERARI Felic., ERARII Iuc.) QVONDAM plerique, VILLICVS · AERARII · CVSTOS Vatic., RVSTICVS · AERARI · QVONDAM Vicet., AERARII · QVONDAM · CVSTOS Bemb. Lig., AERATI (sic) QVONDAM · CVSTOS Scal. in textu, VILLICVS AERARI idem in lemmate · adnotationis. — CVLTOR · AGELLI] VILICVS · HORTI Vicet. — 2 HEC Lil. — PERSPECTA Vicetina, RESPECTVS coniecit Reiesius. — DICO] DIC DICO errore calami Iuc. — 3 PRO] POR Fel. (Ver.), ‘al. POR’ margo Marcanovae. — OFICIEIS Red., OFFICIEIS Chig. Vic. Scal. — PACISCOR] PAC Iuc. — 4 ASSIDVVS Fel. (Marc.) Lil. Vic. Scal. — VELLIS Vicet. — 5 VIOLARIT Lil. Iuc. Bemb. Scal. — 6 TENTO reliqui, etiam Bembus, TACEO Vicetina et solus ex nostris Lilius, omnino ex editione aliqua Vergilianorum, cum in Pataviniis praeterea nihil habeat eximium; ‘TACEO veteres excusi, item et optima scheda Tibulli’ Scaliger.

Villicus aerari quid velit, recte perspexerunt Scaliger ad h. l. et Iac. Gothofredus ad C. Th. 16, 5, 36; proprie puto significatur is qui dicitur *villicus summarum* servus rei publicae, de quo supra dixi ad n. 737. Aerarium igitur intellege non populi Romani, sed rei publicae Patavinorum. Peracto autem officio fideque perspecta manumissus a re publica (sicut item manumissum esse appareat Aquileiensem illum vilicum) fundum comparavit ibique carmen hoc incidi iussit. Nomen videtur fuisse in alio lapide, ut saepe fit in talibus.

2804 Patavii rep. c. a. 1655 in via S. Aegidii prope monasterium Servitorum urs., deinde in aedibus Ursati GUD. Postea Rovigi apud Silvestrios SILV. Nunc Veronae in museo n. 153.

IVSSV · PROSERPINAE
L · CALVENTIVS · L · L · FESTVS
ARAM POSIT
SACRVM

Contuli. Ursatus ms. et in epistula scr. a. 1669, edita a. 1719 p. 17, item in hist. ed. a. 1678 p. 40 (inde Mur. 117, 6. 142, 3); Gudius ms. 404, 1, ed. 60, 3; Silvestri *Giuvendale* p. 366 ligno incudit; Maffei M. V. 84, 5 (inde Orelli 1475); Furlanettus p. 21 n. 20.

2805 Patavii in domo Hieronymi, postea Franc. Quirini SCARD. PING. idemque voluit, praescribens ‘in Francisci Quirini et Alex. Bassiani domo’, MORILL. (ms.).

VNERI · VIC
TRICI · PRIMA
MINVRIA · VISV
IVSSA · POSVIT

Pingonius f. 235. Morillonius cod. Vat. 6039 f. 383' vidit a. 1549; pendent ab eo Smetius ms. Neap. p. 105, ed. 26, 5 (inde Grut. 60, 2) ‘a Pighio’ et Pighius ms. Berol. f. 196, cod. Luzac. p. 59 et Lipsius ms. f. 18'. Aliunde Scardeonius p. 69. A prioribus Ursatus 1652 p. 319. 1678 p. 38; Furlanettus p. 17 n. 14. Vv. aliter divisit Scard. — 1 nexus servavit Ping. — 3 MINVTIA Morill. et Smet. (ms.). — vsv Scard.